

QR. 253. 7

Z c

2947

Dn. SIMONI
LANDGRAVIO,
Phil. & Med. D.

FELICITATI, VIRI Pru-
dentissimi VVolfgangi Lebzel-
teri Senatoris, filiae, virgini le-
tissimae

X 2055103

Nouis Sponsis

Gratulatum felixque coniu-
gium precatum adest

Amicorum Decas.



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

L I P S I Æ

Imprimebat Michael Lantzenberger, Anno 1604.

LIBRARY
UNIVERSITY OF
SACSEN-ANHALT

UNIVERSITÄT
MAGDEBURG



Nuptiale votum.



Vam dudum optâsti lucem, quæ gaudia vitæ,
Landgrafi, en lucem, en gaudia SPONSVS
habes.

O lucem faustam, tibi gaudia mille ferentem,
Quâ tua LUX thalamum, quâ tua VITA,
subit.

Lucem hanc perpetuet tibi magnus IOVA, sequentes
Et luces similes præbeat innumeras;

Quæ TE sospite, TE simul florente TUAQUE,
Lætitiâsq; meras deliciasq; ferant.

M. Ioan. Fridericus, inter occupat. medias
ἐξελθῶσι.

Quiritè declinare Felix in suo

Discit puer Donato, is evadet bonus

Machaon; est ut nota vulgi fabula.

Tu sponse, declinare non solum, sed &

Gradus per omnes comparare doctus es:

Nec id modò theoreticè, aſt & practicè.

Felix fuisti namq; Padue studens,

Ubi dedit Pallas tibi Theorian:

Felicior nunc es, reversus Lipsiam,

Nummos ubi Iuno tibi dat practicos:

Erisq; felicissimus breui, cui

FELICITATEM MELLEAM dabit Venus.

Fies ter ampliusq; felix hoc modo:

Cùm, quæ offerebant singula Paridi bona,

Tibi uniuersa & uniuersa dent Deæ.

Non ergo mirum, vera quod sit fabula

Lipsensium communis, inter Lipsicos

A 2

Doct̃or

Doct̄or SIMON quod optimus Machaon est:
 Qui vel Simonium Simonem vinceret.
 At Sie-man haud uti Paris, Germanicè;
 Hebraicè sed esto quod petram notat
 Fortem: velut grauem decet LANDGRAVIUM.
 Vt triste felix in schola theoreticè
 Didicisti: ita in connubiū ludo novum
 Latumq; FELIX practicè nunc ruminat,
 Nec Singularem vel Dualem, at Plurimos
 Numeros per, hoc declinat: itemq; compara
 In omnibus, superq; latiuo gradu.
 Felix ter hinc manebis: & Felicitas
 Felicitates annuas edet tibi.

Iosephus Behr / V. I. D.

Venandis dextrè dum causis atq; fugandis
 Morborum nimium, nec sine laude, studet
 LANDGRAVIUS, Ducis illustris, quem nomine præ-
 Instar, Venari coepit & ipse feras. (fert
 Vix coepitq; animal positi statim amabile casses
 Illius, Cerua est quæ Salomonis, habent. Prou. 5.
 Venator felix, ceruâ hac, ô sponse, potite,
 Hanc quoq; Felicem nomine namq; patet.
 Exaties hac te prædâ, multosq; per annos
 Illius oblectes jugi in amore, precor.

Popularitatis & amicitia
 gratia

M. VVolffg. Corvinus Fr.
 Profes. publ. S.

Sic

Sic Veneri visum ; placitum Dijs, cum Ioue cunctis
Ferret te in dulci pulchra puella sinu :
Artis & vt ferret famosæ penna sub altum :
Fortunam vt posses T v benè ferre tuam.
Gaude forte bona (Gallinæ filius albæ es,)
Non extra numerum, &, cum ratione, modum.
Ha! Tibi gratamur, quod non sine pectore corpus
Optatum inscendat sponfa petita thorum.
Quod diues nummis, quod calleat arte fruendi,
Natales quod Eam; Formaq; nobilitet.
Quid nos; quid Tete deceat sperare? quid vltra?
Festines multâ prole beare domum.

M. Christophorus Lucius, Dresd.

Sic igitur nemo est qui flammæ pectore amoris
Excutiat; tantum jus tenet iste puer.
Tu quoq; Castalidum decus, ô Clarissime Doctor,
Legitimi gaudes fœdus inire thori.
Paruus amor, locuples, faciat quàm vulnera magna,
LANDGRAVIE ipse tuo vulnere testis eris.
Non te quotquot habet plantas sanauerit hortus:
Non quotquot succos Pharmacotheca parat.
Non ipsum si te Medicum creet aula potentis
Cæsaris, à leso corde venena fuges.
Sed veluti Telepho, Æacida quem laeserat hasta,
Auxilium præsens Pelias hasta tulit:
Sic qua te laesit rursum tibi pharmaca portat:
SPONSA tibi vulnus quod facit ipsa leuat.
SPONSA sacram Mystes quam nunc tibi iungit id aram,
SPONSA medela dati vulneris una tui.

A 3

Coniu-

*Conjugium est igitur, quod Amoris vulnera sanat,
Pharmacum; ô Veneris nobile conjugium!*

M. Blasius Franck, jun.

C. D.

HO Victoria! jo! jo triumphus!
Conclamabam ego. abit quies repentè!
Quin ergo evigilans novis precatus,
Plausus tergeminosq; tollo Sponsis?
Ho Victoria! jo! jo triumphus!
Io somnia! gratulatio! omen!
Sed quid spirituosiore bucca
Tumes, denticrepasq; frendis iras
Gens Vatum enthea, sacra, passa raptus,
Cum, quæ fata futura sunt, sub vnâ
Nocte in concilio Deum doceris?
Rupes Thespia turbulentiore
Non non est mihi visa per quietem:
In concha Cytherëia, (vocatis
Diu frustra Heliconijs colonis,
Ista, quæ legitis, mea ista si fors
Mens est somnia nosse, somniavi:
Ista, quæ vacua aure, nare hiante,
Ore discipuloq; noscituos
Haud falso augurio mihi videre
Latantes videor, novos maritos.
Diones didici aurea in palæstra,
Theatro in roseo, atq; mollicello,
Quales Hesperidum celebriores
Hortos clarat amoenitate fama:
Ut suo à famulatio exigebat

Cypris

Cypris docta magistra amationum,
Diurnas operas amationum,
Nocturnas operas amationum,
Lepórem tenerum, suävitatem,
Gratiam facilem, facetiasq;
Ludos, mellitulas jocationes,
Artem amabilitatis vniuersam.
Alternabat vt hoc petita pensa,
Dulci carmine, voce dulciore.

Præcent. Gesto, gesto. *chor.* quid? *Præcent.* aureum quid. *chor.* ecquid?

Præcent. Gesto, quo Genius senere nescit,
Verum quo juvenescit vsq; & vsq;
Donum nobile, Dijs penè invidendum.

Chor. Quem donas, mea tu, tuo invidendo,
Dono perlepidoq; nobiliq;?

Præcent. Quem pluris facio meis ocellis,
Quem pluris facio meis mamillis,
Hunc, quem vivere plus meopte amabo,
Hunc, quem plus Genio meopte amabo,
Et quod est oculis, quod est mamillis,
Quod vitâ, Genio mage expetendum.

Chor. O mel, delitium ô merum puella es!
Amabo mea tu, mihi tuum istum
Ocello fugitiuo vt intueri
Possim. *Præcent.* Ille ille meus minus parentem
Erga vtrumq; suum vritur medullas.
Illi me sine nectar est amaror,
Illi me sine somnus ipsa mors est.
Exi lux mea, vita, gaudium exi.
Non exis mea cura, spes, voluptas?
Doctis invigilat nimis pagellis.

Huc

Huc sis, huc age Rex tenelle Amorum,
Non audit meus, ille, quem vocatu
Excitum volui, Tibi ecce habeto
Gustum muneris, huic quod adparavi.
Hem lux basia sunt pudoris ista!
Heus dic basia sunt pudoris ista.
Hem lux basia sunt fauoris ista!
Heus dic basia sunt fauoris ista.
Hem lux basia sunt amoris ista!
Heus dic basia sunt amoris ista.
Hem lux basia sunt furoris ista!
Heus dic basia sunt furoris ista.
Sunt hæc læticiæ jocationes.
Sunt hæc tristitiæ leuationes.
Sunt exercitium bonæ juventæ.
Sunt solatiolum bonæ senectæ.
Sunt hæc obsequij argumenta grati,
Constantis fidei argumenta in omni
Fortunæ arbitrio æquo iniquiore.
Heus dic lux mea, vita, spes, voluptas,
Sunt hæc læticiæ jocationes.
Sunt hæc tristitiæ leuationes.
Sunt exercitium bonæ juventæ.
Sunt solatiolum bonæ senectæ.
Sunt hæc imperij argumenta blandi,
Constantis fidei, argumenta in omni
Fortunæ arbitrio æquo, iniquiore.
Ho victoria! jo! jo triumphus!
Exit lux mea, cura, gaudium exit.
Ho victoria! jo! jo triumphus.

Præsent &
Chorus:

Paulus Frobergius.

IDYLLI-

IDYLLON

M O N O P H Y L L I.

Cunctipara genitricis opes, infernaq; tractus
 Sidera mundani, sublunaresq; profunda
 Telluris radios audaci prodere metro,
 Qua mens apta satis? soliti vanescite sensus.
 Iam furor omne meo quicquid sub pectore motus
 Elicit, & solas spirant praecordia stirpes.
 Iam mihi cernuntur glebarum claustra resolui
 Foetibus, & teneras dispergere germina frondes,
 Astrorum mentita jubar: jam mirus in aruis
 Naturae rutilat vultus, campiq; coruscant
 Sorte noua, nitidoq; solum splendet amictu;
 Magnifica innumeris superans Asarota figuris.
 Ecce procul luteo glomerata Calendula flore
 Exoritur, socioq; Chrysanthemon additur ortu,
 Crinales referens apices, quos plurima circum
 Confertim stipant folia, & ponuntur in orbem.
 Nec luxu, nec honore minor, paria agmina condit
 Bupthalmus; generisq; vigor, cui nomina pandunt
 Astra, **C O N T R A** fugansq;, actu suffiminis, angues.
 Haud Melilotus abest, oculisq; salubre Triphyllum,
 Coryciumq; Croci decus, & mons qualibus almo
 Hybla ferax gremio, late se jaetat alumnis.
 Pubescunt virgulta rosis, calathosq; figurant
 Lilia, rumpendas meditatur Martagon oras:
 Et conuiuentes soluunt Violaria ocellos.
 Prodit Aristolochia sui discrimina sexus.
 Oscitat Antora rictus, galeaq; decorem
 Assimulat; Bistorta leuat conformia Typhae
 Spicula, contortis radicum cognita gyris.
 Oxys acetosum sapiens hic gloria ruri

Mox labor inde tuus, qui misces Pharmakon agris.
 Et croceum baccis, & acerbum frondibus Arum,
 Pistilli simulacra noui cute condita laxat.
 Hic lugubre comas Hyacinthi germen, at illic
 Exerit illustres Amaranti gratia flores.
 Infinita stupent herbarum gramina matres,
 Percelluntq; meam pullorum examina mentem:
 Sed iuuat è reliquis facie speciosa viroris
 Syluicolis fors certa DEVS, atq; allicit ad se
 Cernentes oculos, positu MONOPHYLLON opaco.
 Illi multifidas, radicum brachia, fibras
 Hucq; illuc errante gradu natura ministrat:
 Pediculus breuis est vnus; plantaginis instar
 Forma cluet folio; specie nec dispare nerui;
 (Quidam hederæ parilem faciunt) possetq; videri
 Fontali similis, nisi cuspide acutior vnco.
 Talem prima videt secli vernare iuuentus;
 Altera at alterius folij communicat augmen,
 Cauliculum superaddit adhuc, & lumina florum,
 (Qualibus effusos crispata cacuminis artus
 Gallia penè nitent) thyrsog; appendit amæno.
 Verùm ubi marcet honos, & gratia tota comarum
 Perdita, tunc medios in nodum colligit unguis,
 Baccarumq; nouas ostendit ad oreæ formas.
 Tali luxuriat specie; qua condita fati
 Secla priora tui, brutâ sub imagine signat,
 CLARE VIR, O MEDICIS DOCTOR DIGNATE BS Abeis,
 ÆGRORVM COLVMEN, COMMVNIS FAMA MEDENTÛM.
 Quin mecum expendas: primaui temporis ætas
 Occultum populo te sustinet, inter opacos
 Pæonidum saltus; Clarias reptare per artes

Queis

Quæis iuuat, & solum mutis operasse Magistris.
Italiam translatus adis, quam compare lustras
Sorte: velut riuos latum MONOPHYLLON ad hortos.
Ingenio consuetus humi, mox nota reuisis
Lustra; ubi ritè nouum transacta biennia florem
Nominis amplificant, Medicoq; vigore reuelant,
Cuius ita nostræ splendor benè cognitus vrbi.
Neue foret mancum decus, additur ecce vigori
Gratia; coniugij geminatur fœdere virtus:
Ceu duplicata comis MONOPHYLLA biennia monstrant.
O bene! nunc baccas referat fortuna tumentes,
Felicijq; tuum prouentu turgeat ausum;
FELICES fœtus FELICIA fata ministrent,
Quæis Arabum inuideant FELICIA GERMINA terra.
Omina conueniunt: alias nunc leta futuras
Expectat natura faces, & sidera secli.
Vos equas adhibete vices; noua fœnora mundo
Addite, & optatos populis proferte nepotes.
Commoda sic vrbi, delectamenta maritæ,
Gloria summa tibi, precia hinc. quid plura requires?

Debitæ obseruantia & gratitudinis
ergò declarandæ facieb.

Ludouicus Iungerman Lipsiensis
Φιλοσοφου. καὶ Φιλίατρος.

A Nno hoc quod optavi tibi, vir optime,
Anno hoc statim successit id feliciter.
Nam quam precatus sum tibi puellulam,
Illam beatus jam toro jungis tuo;

B 2

Pulchram

Pulchram, piam, ditem, probam, iuenculam,
Quæ virginum verè est decus Lipsensium.

Faxit DEUS ter Maximus ter Optimus,
Quæ nunc precor porrò, illa vt haud sint irrita.

Felicitas eiusmodi perenniter
Teg, & Tuam Felicitatem perbeet.

Vt plantulas vester dat hortus annuas,
Sic blandulos vester torus det gnatulos,
Quæis Nominis LANGRAVII celebritas
Per Misnicam, per Francicam terram cluat.

Quin adsit & posthac tuis laboribus
Archiater summus, tuæq; industriæ;
Quò conualescentum auctiore copiâ
Ringatur & ventrem crepet turba inuida.

At contrà ego, ducente te, mihi expeto
Olim parem felicitatem consequi.

Hieronymus Hornschuch / Med. stud. Fr.

συμπαιτριώτη suo F.

A Lucolum aggreditur nuper, furtimq; pusillâ
Mella manu argutus dum rapit ales Amor.

Parca operis vindex securi, ac plura parantis

Verrere, acu digitos vulnerat arduè Apis.

Excutit ille hostem, alterno pede gramina pulsat,

Incensamq; inflat ter quater ore manum.

Post magis atq; magis crescente dolore, parentem

Quærere it omne altæ per penetrabile Paphi.

Inuentâq; ita clamat: ades mea ô optima Mater,

Bestiola, en, læsit nostram inimica manum.

Bestiola, en Mater, læsit; dolor heu! manus eheu!

Bestiola, en, læsit nostram inimica manum.

Ilia

Illā suo at Nato metuensq̄; , dolensq̄; dolenti,
Vndiq̄; pœoniam quærit & optat opem.
Nil Amathus, nil celsa Paphos, nil clara Cythera,
Sola, quod optabat, splendida Lipsis habet.
Curæ heic LANDGRAVII puerum committit, hiulcum
Eius Apollineâ vulnus vt arte leuet.
Non mora; mox fidus medicas ille applicat herbas,
Ad mala præsentem & vulnera portat opem.
Impatiens puer at Curæ, Curæq̄; doloris,
Præceps dat bili libera frena suæ.
Mox arcum pharetramq̄; capit, fortisq̄; sagittæ
Durâ mucronem in cote repente nouat.
Inde arcu ferrum lunato missile torquet,
In pectus Medici dirigit hocq̄; sui.
Vix stridet neruo, cordi illius hæret arundo,
Et jacet hoc totum is perditus ictu animum.
Scilicet hoc aufert munus preciumq̄; laboris
Sæpè, Machaoniâ qui leuat arte malum.
At miserata Parens Medicus quod fidus Amoris
Præmia pro Curâ non meliora ferat.
Ipsa huius Medicum quæsitum it vulneris, ægro
Huic Medico medicam qui citò præstet opem.
Siste Venus. Nil hic prodest Podalirius, ipse
Non hæc sanaret vulnera Philyrides.
Ipse Asclepiades redeat, redeatq̄; Machaon,
Optatam poterit tradere neuter opem.
Non est in Medico semper releuetur vt æger,
Interdum doctâ plus, Venus; arte vales.
Sed præstò est Medicina; En felici ore puellam,
Ista ægro Pœon, certa erit ista Salus.
Ista illi Nepenthes erit Panacesq̄;, salubre
Moly illi in cunctis offeret ista malis.

Languenti Androsaces erit ista, erit ista dolenti
Euphrosyne, inde abigens tristia quæq; procul.
Ista Althæa graues animi medicando dolores
Acaciam præstò illi ambrosiamque dabit.
O vulnus benè sanatum! ô & tristia quæq;
Versa benè! optatas ô tibi, SPONSIB, vices!
Iungite vos thalamo, paria atque pari ambo leuate
Vulnera ope, ô fausto corcula nexa iugo!
Arbor vt æternùm sub Sole soloque virefcit
Palladis; vt Paphiæ Myrtus amata Dea.
Perpetuò in riguo ceu floret Ageraton horto;
Flore suo nunquam ceu Amarantus eget:
Sic vigeat magis atque magis pius igne perhenni,
Frondeat atque suo germine vester Amor.
Quod precor, eueniet; DEVS annuit, annuit alma
Votis placato cum puero, ecce, Venus.

Valentinus Berger Lipsiensis.



IO, IO LANDGRAVIUM nimis beatum
SPONSVM prædicat vniuersa Lipsis,
Lipsis Misniacæ Smaragdus oræ.
Et verè: siquidem beatiorem
Et faustam mage coniugationem
Non vidit, neque post videbit vnquam,
Ac vt hac videt & die celebrat.
Nam Iuno genetrix amoris omnis,
Et Venus genetrix leporis omnis,
Vni Landgravio suos Amores
Iugant, atque dicant suos lepores:
Quos vtroque suo tenello ocello
Et vtroque fouet suo auricello,

Et spi-

Et spirat lepido suo labello,
Et efflat suo ab ore mollicello,
Ista bella puella, per nouellum
Nympharum, Charitumque, Gratiùmque
Lebzeltrùm Decus, & magis Dearum
FELIX progenies, beatitasque:
Ista, inquam, pietatis æmulatrix,
Pudorisque puella casti Amatrix;
Ista moribus integraque forma
Puella, & facie vsque purpurata,
Agnæ mollior, albiorque cygno,
Argento, niue, lilio, ligustro.
Ista Landgrauio beatitatem
Istam fert propria beatitate.
Nec tantummodo fert, sed & vicissim
Ab Hoc ad propriam beatitatem
Capit innumeras beatitates,
Namq; cum Sophia nouem Camœnas,
Cum Phœbi cithara dotes Deorum
Omnes & genij ingenijque vires
Affatim capere, & videre in vna
Hora, an non capere est beatitates?
An non innumeras amœnitates
Est videre? beatitudinesque?
OFELIX nimium & beata Sponsa,
Sponsum quæ capis vsque & vsque & vsque
Beatum nimia beatitate.
Qui quicquid reperitur eleganter
Scriptum, & vndique & vndique eruditè
Dictum, & vndique & vndique expolitè
Factum, & vndique & vndique expeditè
Curatum, & medicas modò per artes

Serua-

702947
OK

Seruatum, tenet, vsq; & vsq; callet.
O vir nobilis inter eruditos,
Eruditus & inter expolitos,
Expolitus & inter expeditos,
Quis te nobilior peritioruè?
Quis felicior est, beatoruè?
Quis tuam potis est beatitatem
Satis & fatis vsq; prædicare?
Do votum ergo tibi: DEUS nouellam
Vobis vt beet hanc Amationem
Et vortat benè coniugationem.
Hæc laudasse modò & dedisse fat sit:
Laudent cætera, quæ solent, Poëtæ,
Optent cætera, quæ solent, Poëtæ,
Dicant cætera, quæ solent, Amici,
Donent cætera, quæ solent, Propinqui;
Et vel per varios Iouis Decores,
Vel, Mars, per calidos tuos Amores,
Bacche, vel liquidos tuos Liquores,
Vel, Geni, tepidos tuos Vigores,
Vel, Venus, lepidos tuos Lepores,
Vel, Arabs, sapidos tuos odores,
Vel quoscunq; alios simul Nitores,
Vel quoscunq; alios ferant Honores,
Hæc donasse, mihi, & dedisse, fat sit,
DEUS si benè coniugationem
Hanc Vobis beat atq; Amationem,
Verè vt LANDGRAVIUM nimis beatum
SPONSVM prædicet vniuersa Lipsis.


Elias Opitius Bischoffverdensis.

F I N I S.

WMT

M





Z c
2947

